R 1726
357

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/puteussaceragrib00paci

PVTEVS SACER.

PVTEVS SACER.

AGRI BONONIENSIS

JVSSV

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV. P. M.

COMMENTARIO ILLVSTRATVS

A

PAVLLO MARIA PACIAVDIO C. R.

SAC. EQV. ORD. HIEROSOL. HISTORICO



ROMAE CIↃIↃCCLVI.

EXCVDEBANT FRATRES PALEARINI

PVBLICA AVCTORITATE.

Inſcriptio putei περιστομίῳ inſculpta.

APOLLINI. GENIOQVE. AVGVSTI. CAESARIS. SACRVM. D. S. P.

L. APVSVLENVS. L. L. EROS. MAGISTER. PVTEVM. PVTEAL. LAVRVS.

PVTEVS SACER
COMMENTARIO ILLVSTRATVS.

ΠΡΟΛΗΨΙΣ.

OPTIMA litterarum ſtudia, BEATISSIME PATER, ad tuendam, augendamque imperii, populorumque felicitatem plurimum momenti habere, ut quamdiu politiſſimas artes ali contigerit, tamdiu Rempublicam omni amplitudine ac ſplendore florere oporteat, conſtanti quadam intelligentia, uſuque pene quotidiano deprehendimus. Quod quum mature, vereque animadverterent Lesbi primores Mytilenaei, quemadmodum ab Aeliano accepimus, [1] *τοῖς ἀφισαμένοις τῶν συμμάχων τιμωρίαν ἐκείνην ἐπήρτησαν, γράμματα μὴ μανθάνειν τοὺς παῖδας αὐτῶν διδασκέλασθαι, πασῶν κολάσεων ἡγησάμενοι βαρυτάτην εἶναι ταύτην ἐν ἀμαθίᾳ, καὶ ἀμουσίᾳ καταβιῶναι: ſociis, qui deſciſcebant, hanc poenam impoſuerunt, ut liberos ſuos non docerent litteras, omnium ſuppliciorum hoc graviſſimum reputantes in inſcitia, & ignoratione artium liberalium vitam tranſigere*. Nimirum animo

1 *Vriar. Hiſtor. lib.* VII. *cap.* XV.

mo firmiter conceptum, comprehenſumque habebant, omne praeſidium ad nominis claritatem obtinendam hominibus adimi, ſi litteris interdicantur, contra vero ſi liberali doctrinae ſe dedant, facile poſſe illos famam, virtutemque ſuam inſignem poſteris facere, ac ſi fieri quidem licet, immortalitati commendare. Verum quod nobiliſſimae urbis incolae praeclara quadam exiſtimatione excellant, non tam induſtriae, vigiliiſque doctorum hominum, qui ingenuas artes excolere, ac perpolire inſtituant, tribuendum eſt, quam Principis providentiae, qui honeſtiſſimas diſciplinas in clientelam recipiat, & quae ad eximiam, abſolutamque ſtudiorum rationem pertinent, numine, ac patrocinio ſuo decernat, provehatque. Quid igitur eſt, quod litteratiſſimi Bononienſes in tanta, quam obtinent, ſapientiae laude Tibi Patri Patriae amantiſſimo vel hoc uno nomine non debeant? Equidem non ſum inſciens, tum manſuetiores muſas cum ſeveriores facultates omnes, Graecia quondam extorres, palanteſque Felsinam primum ſuis laribus excepiſſe; illic ſapientum laboribus mirifice adoleviſſe; illic excuſſa barbarie, qua inhorruerant, priſtinum nitorem recuperaſſe; illic denique tamquam in perhonorifica, tranquillaque ſtatione jugiter conſediſſe: ut Italici nominis gloria ex Academia Bononienſi, veluti ſacro, perennique fonte nullo non tempore manarit. Nihilominus eccui non exploratiſſimum, tuo in imperio rei litterariae dignitatem Bononiae felici incremento auctam, mirumque in modum amplificatam, quum non ſolum de omni divinarum rerum ſcientia maxime promovenda ſapientiſſime cogitaveris, at etiam nova ſubſidia clariſſimis ingeniis, ſive ad philoſophiae, ut vocant, experimenta-

mentalis doctrinam adipiſcendam, ſive ad naturae myſteria inveſtiganda, munificentia plane ſingulari contuleris? Sed TV, SACRATISSIME PRINCEPS, cui.

. . . . *cor limante Minerva*
Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenae,

quum in omni fortunae gradu litteris potius, quam tibi vixiſſe videare, apprime intelligebas, poſthabita veterum monumentorum contemplatione, ſaepe obſcuram, mancam, & hiulcam conticeſcere hiſtoriam: cujus quum tanta, & tam perſpecta ſit utilitas, de locupletando, ornandoque Academiae Bononienſis Muſeo, graviſſimum, dignumque Principe negotium ſuſcepiſti. Quamobrem nummos praeſertim argenteos bene plurimos Romanarum Familiarum, quos ego anno ſuperiore recenſui, atque deſcripſi, aliaſque eruditae vetuſtatis reliquias illuc interdum devehi voluiſti; ne tranſalpini peregrinatores, dum in illo ſplendidiſſimo muſarum contubernio, uberrimam rerum phyſicarum ſuppellectilem demirarentur, ad antiquitatis ſtudium, aetati ac tempori oppido conveniens, adjumenta deeſſe incuſarent. Dudum vero quum accepiſſes in agro Bononienſi [a] antiquiſſimum PVTEVM, ejuſque ex caeſo lapide περιστόμιον inter rudera, & dumeta fuiſſe detectum, pro eo, quo in publica commoda incenderis, amore, continuo juſſiſti monumentum, quod tantam ferebat vetuſtatem, quodque res patrias a noſtra memoria remotiſſimas oculis objiciebat, in aedes INSTITVTI importari, Felſineis marmoribus aliquando adjungendum. Mihi vero eam commiſiſti provinciam (quod tamquam maximae, ac praecipuae dignationis, ac clementiae in me tuae teſtimonium animo aeternum

a In praedio PP. Ord. Praed. vulgo *Macartetolo*.

ternum tuebor), ut quae de hoc cimelio ſentirem, ſcripto depromerem, meumque de circulatim illi inſculpta epigrapha judicium litteris mandarem. Non is ego profecto ſum, qui probe non teneam, priſcorum monumentorum conquiſitores, & interpretes nonnumquam immodico, perditoque erga illa ſtudio abreptos, ad ſuperſtitionem uſque geſtire, ac ſibi plaudere, ſi vetus, ſi obroſus, ſi mutilus lapis e tenebris, ac ſquallore in lucem prodeat, ſtatimque litteris pro ingenio qua permutatis, qua ſuppletis, vaniſſimas cominiſci, & in vulgus diſſipare inſcriptionum explicationes. Sed nullus erit aequus harum rerum, vel potius humanitatis, politioriſque doctrinae aeſtimator, cui litterati huiuſce marmoris praeſtantia in oculos, pene dixerim, non incurrat, plurimumque exinde ſplendorem Felſineis antiquitatibus illuſtrandis affulgere, extemplo non pateſcat. Quo fit, ut ad hoc commentariolum conſcribendum libentius operam, curamque convertam; facile enim intelligi, deprehendique poterit, me hoc tempore neque rem in incerto poſitam dicendo perſequi, neque antiquariorum cavillationibus quicquam indulgere. Vtinam vero ea in me eſſent ingenii praeſidia, quibus uberrime inſtructum fuiſſe nobiliſſimum eruditorum par, Bachinium, & Robertum adhuc ſuſpicimus: nam ſi Pvteal agri Parmenſis, cui Dvvmviri Bononiensis nomen inciſum erat, materiam illis ad ſcribendum ſuppeditavit [3], certe latiſſimus, multoque illuſtrior induſtriae meae, ac orationi nunc campus panditur. At ſi minus ſagacitas, & doctrinae copia hoc libello enitebit, obſequentiſſimum

3 *Giornale de' Letterati d' Italia dell' anno 1686. V. Marmora Felſinea ſect.* IV. *cap.* IX.

mum ſaltem in Te officium, SAPIENTISSIME PONTIFEX, expeditaque ad parendum voluntas declarabitur. Ne autem vagari, & errare cogatur oratio, commentarius a me in duas tribuetur partes, quarum altera argumenti veluti praeparationem complectetur, ideoque παρασκευαστικὴν illam appello; altera, quam κατασκευαστικὴν dico, in epigraphe explicanda, adſtruendaque illius interpretatione verſabitur.



COMMENTARII

PARS PRIOR

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

ſ. I.

Monumenta Romana puteis defoſſis appoſita. Putei refrigeratorii. De his locus Plinii conſpicuus. Putei ἀλεξίμβροτοι. Puteus militum Praetorianorum opus. Putei caſtrenſes temporarii.

AC ne haec prima ingreſſio mea, quaſi ex Grammaticorum tricis repetita, aut reprehenſionis aliquid, aut certe admirationis ſit habitura, nihil de PVTEI ἐτυμολογία dicam, mittamque huius vocis originationem inveſtigare; ſed faciam, quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo, ut differentiae omnes explanentur, & varia apud veteres puteorum genera primo conſtituantur; ex quo facilius ad id, quod quaerimus, aditus referetur, viaque muniatur. Hortante natura ipſa, quae eſt provida utilitatum, opportunitatumque omnium conſultrix, didicerant homines, ſcrobes, altoſque receptus defodere, ubi aqua ſua vi e terrae venis ſcatens, exilienſque colligeretur, indeque, quum opus eſſet, hauriretur. Quod ſi a Romanis minimo etiam impendio fieret, aut Vrbs propterea aliquid caperet commodi, illi quidem aeternitatem nominis ſui quavis in re ambitioſe aucupantes, operis monumentum adjiciebant. Teſtis locuples geminus apud Gruterum lapis, quorum hic prior eſt.[4]

LI-

4 Pag. DLXXXVIII. 3.

LIBERTIS . ET . FAMILIAE
TI . TI . CLAVDIORVM . EROTIS . ET . FELICIS
AVG. L. A. RATIONIBVS
POSTERISQVE . EORVM
STABVLVM . CVM . PRAESEPIIS . ET . CELLIS
HVIC . LOCO . MACERIA . CLVSO . CEDIT
ET . PVTEVS . ET . PISCINA . CVM . ADITO . COMM. DEPVB.

Alter vero ſic habet: [5]

IMP. DIOCLETIANVS . C. AVG. PIVS . FELIX
PLVRIBVS . OPERIB. IN . COLLE . HOC . EXCAVATO . SAXO
QVAESITAM . AQVAM . IVGI . PROFLVVIO . ET . TOFO . HIC
SCATENTEM . INVENIT . MAR. SALVBRIOREM . TYBER.
LEVIOREM . CVRANDIS . AEGRITVDIN. STATERA. IVDICAT.
EIVS . RECEPTVI . PVTEVM . AD . PROX. TRICLIN . VSVM
IN . HOC . SPHERISTERIO . VBI . ET . IMPERAT
NYMPHEVM . F. C.

Quo in loco monendum puto, *Piſcinam*, quae primo hoc lapide commemoratur, minime pro vivario eſſe accipiendam, ſed pro lacu, & fortaſſe calidae, ad quem Conliberti EROTIS, & FELICIS natatum venirent; ideoque *Puteum* intra eadem ſepta non ſolum potui, ſed & refrigerationi fuiſſe defoſſum. Pulchre huc faciunt Plinii verba [6]. *Si natare latius, aut tepidius velis, in area* PISCINA *eſt: in proximo* PVTEVS, *ex quo rurſus abſtergi, ſi poeniteat teporis*. Atque illud etiam ex altero lapide intelligi poterit, PVTEVM Diocletianeum, in loco ſpheriſticorum ludorum, etſi in uſum attigui Triclinii, medicum tamen, & ἀλεξίμβροτον exſtitiſſe; ut pote quo aqua e levi tofo ſcatens contineretur, quae, facto periculo, marina ſalubrior, & Tyberina (pondere utriuſque, & *gravitate ſpecifica* ὑδρο-

5 *Pag.* CLXXVIII. 5.
6 *Epiſt. lib.* V. *epiſt.* VI.

ςάμῳ explorata) levior deprehenſa fuerat .[7] At quot id genus puteos in urbe tam frequenti , quae ſibi in omnibus bene eſſe volebat , exſtitiſſe credendum eſt , quorum veſtigia temporis injuria delevit , nomenque vetuſtas ipſa oblitteravit ? Inter eos , praeter *Puteum aquae ſalientis* , cujus meminit P. Victor ,[8] alter fuit , qui ad Nardinii [9] aetatem perennavit , *Aquae vivae* dictus , effoſſus a militibus in caſtris Tiberianis , [10] quum P. R. , inſtigantibus Gallicano , & Moecenate , in Praetorianos armis tumultuariis conjuraſſet , omneſque aquarum rivos , teſte Herodiano [11] , a caſtris avertiſſet . Certe puteanas aquas , ſi fontalis deſit , ab obſeſſis foſſione quaerendas praecepit Vegetius . [12] Eſtque ab Appiano litteris proditum , Scipionem in Hiſpania , quum exercitum per incelebres , incultaſque duceret vias , puteos temporarios deffodi juſſiſſe . [13]

7 Hippocrates *de aer. loc. & aqu.* illud omnibus , qui medicinam cum laude factitare vellent , praecipiebat, ut aquas ſtatera diligentiſſime appenderent. Factumque a ſe ſcribit Athenaeus *lib.* I I. quo experimento aquarum in tota Graecia leviſſimam deprehendit . Arabes , relicta ſtatera aliam iniiſſe viam ad aquae levitatem , gravitatemque inveniendam tradit Paſchalis Caryophilus *Diſſertat.* I I. *de uſu, & praeſt. Thermarum. Hercul.*

8 *In Regione* XI.

9 *Rom. Antic. lib.* IV. *cap.* IV.

10 *V. Tacit. Annal.* IV.

11 *Lib.* VII. *in fine* .

12 *De Re milit. lib.* IV. *cap.* X. V. adnot. Stevechii .

13 *De Bello Hiſpan.*

§. II.

§. II.

Graecia quondam δίψιος, ſed poſt Danaum puteis frequens. Pauſaniae teſtimonium de puteis Athenarum. Lex a Solone lata de puteo publico. Puteorum Praefecti. Δικαστήριον *ad puteum in Piraeeo. Puteus Antycirae* σκιπόφορος.

Quamquam Graecia, quae omnes artes vetuſtiores habuit, & multo antea non inventas ſolum, ſed perfectas, quaeque populorum commodo proſpiciebat ſolertius, in hiſce ſcrobillis, aquarumque receptaculis conſtruendis multo viſa eſt diligentior. Fuerat quondam ea regio, ut Homerus ait, [14] δίψιος, ſed a mythicis uſque temporibus Graecos docuit puteos effodere Danaus, cujus inventum filiae ipſius perfecerunt, quemadmodum vetuſtiſſimus apud Strabonem poeta. [15]

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὰι θέσαν Ἄργος ἔνυδρον.

Argos aquis vacuum Danaae fecere redundans.

Sed in Graeciam quum intueor, maxime mihi occurrunt Athenae, quarum in deſcriptione inquit Dicaearchus: [16] πόλις ξηρὰ πᾶσα, οὐκ ἔνυδρος; *Vrbs tota ſicca eſt, & aquis carens.* At haec ſoli ξηρασία popularium induſtria, referente Pauſania, [17] compenſata eſt, nam φρέατα μὲν καὶ διὰ πάσης τῆς πόλεως ἐστὶ, *putei paſſint erant per totam urbem.* Atque in ea conſtat, neminem fuiſſe, qui in publica re adminiſtranda, regendaque Solone melius, & gravius principis perſonam tueretur; qui idcirco communi utilitati hac lege conſuluit, ut quia tellus

14 *Iliad.* δ'.
15 *Lib.* VIII.
16 Meurſius *de Athen. Attic. lib.* III. *cap.* X.
17 *In Atticis.*

tellus erat ſiticuloſa, ἐντὸς διάϛημα τεσσάρων ϛαδίων δημόσιον φρέαρ ἐϛὶν, *intra diſtantiam quatuor ſtadiorum puteus publicus eſſet*. [18] Et quia illud fons juris natura non patitur, ut quis emolumenti ſui gratia alteri detrahat, noceatve, ideo Athenienſes, ὑδάτων Ἐπιϛάτlω *aquarum Praefectum* conſtituerunt, [19] cujus ea eſſet poteſtas, ut caveret, ne quiſpiam vicanorum e puteo non ſuo hauriret, neve aquam ad ſe derivaret: quo quidem munere functum Themiſtoclem, tradit Plutarchus in vita ipſius. Soloni inſuper accepta referebantur varia, quae Athenis obtinebant *Fora*, in quibus pro diverſa cauſſarum conditione judicia exercebantur. Inter haec adnumerabatur δικαϛήριον ἐν φρέατι, *Tribunal in Puteo*, [20] ſitum ad littus maris in Piraeeo; cujus meminere Demoſthenes in Ariſtocratia, & Lexicographi Harpocration, Pollux, & Heſychius. Quamquam locus eſt Ariſtotelis Politic. IV, qui mihi ſuſpicionem injicit aliunde hoc nomen Foro inhaeſiſſe: οἷον Ἀθήνησι λέγεται τὸ ἐν Φρεαττοῖ δικαϛήριον, *ſicuti Athenis vocatur, tribunal in Phreatti*. Quid, ſi ab Attico heroe Phreatte conditum, dedicatumque dicemus? Sed haec ut properans percurro: illud dubium nemini eſſe debet, hujuſmodi Graecorum aedificiis, atque operibus ſua non defuiſſe ornamenta. Mihi ſatis idoneus auctor eſt Pauſanias in Phocicis, ubi puteum Antycirae tholo operculatum deſcripſit his verbis: ἐϛὶν ἢ ὑπὲρ τlὼ ἀγορὰν ἐν φρέατι ὕδατος πηγὴ, κσέπη ἢ ἀπὸ ἡλίου τῷ φρέατι, ὀροφὸς τε καὶ ἀνέχοντες ὀροφὸν κιόνες; *ſupra forum eſt fons in puteo perennis aquae: operculum vero removet a puteo ſolem, eſt autem illud columellis ſuffultum*.

§. III.

18 Plutarchus *in vita Solonis*.
19 Meurſius *ubi ſupra*.
20 V. Joachimum Stephanum *de Juriſdict. Vet. Graec. cap.* VIII.

§. III.

Putei campeſtres, & pecuarii. An ſervitus ex illis poſſet oriri. Auguria e colore, vel motu aquae putealis capta.

Sed quoniam veteres rei pecuariae curam ſollicitiſſime agebant, ideo puteos campeſtres, qui potum gregi praeberent, habuiſſe memorat Virgilius *Georgicorum* III.

Ad puteos, aut alta greges ſtagna ire jubeto,
Currentem ilignis potare canalibus undam.

Porro ſi ex hiſce puteis aqua per ilignos canales manabat, diffluebatque, illam tandem alio percolare neceſſe erat: hinc licet ex puteis nulla *ſervitus* per ſe ſe oriri queat, nihilominus ſervituti, quae enaſcebatur ex *l.* 5. *c. de Aquaeduct.* [21], quum rivi fluentis aquae per canales ſtructiles corrivabantur, hic locus fortaſſe dabatur; de quo plura dicerem, ſi hoc praecipiendi tempus eſſet. Sed quid dicam de auſpiciis, quae nedum agreſtes homines, ſed urbani etiam, totuſque Haruſpicum grex e puteis capiebat? Si forte fortuna accidebat, ut dum aqua per anguſtiſſimos, & flexuoſos terrae meatus ſerperet, rubricae, quae illic copioſe latet, particulas abraderet, indeque & ipſa ruberet, ac purpureo infecta colore e puteo hauriretur, fatales caſus, reſque triſtiſſima portendi rebantur: nam fortuitum colorem allapſum exſtrinſecus, ſanguinem eſſe nulli dubitabant. Quare Virgilius *Georg.* I. infelicia recens oſtenta:

. . . .

21 Confer quae Nood, *de Vſufruct.* Bynkershoek *Obſerv.* IV. Dandinius, I. 12., Huberus, *Digreſſ.* II. 12. *de Servit. Praediorum.*

. . . . *nec tempore eodem*
Triſtibus aut extis fibrae apparere minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſavit . . . . . .

Eodem alludunt Claudiani verſus *in Eutropium I.*

Sanguineo rubuiſſe Jovem, puteoſque cruore
Mutatos . . . .

Pherecydes etiam, ut eſt apud Tullium, [22] *quum aquam vidiſſet e puteo hauſtam, terraemotum dixit futurum*: verum, ſi quod ille praeſenſerat, evenit, non equidem divinationi animo coelitus arreptae, ſed naturali obſervationi adjudicandum facile cognoſcitur.

§. IV.

Putei in Deorum templis, plerumque portentoſi. Romae in aede Bonae Deae. Pergami in fano Aeſculapii. Ariſtidis de hoc puteo panegyris. Puteus in delubro Herculis ad Gades. In templis Dianae Mothoneae, & Neptuni Erechthei. Puteus Apollini *ſacer in Boeotia. Aqua puteana ſacris faciundis aptiſſima.*

Accedo jam ad alterum genus puteorum, qui majorem cum noſtro habent cognationem: quo patefacto, non erit dubium in quorum numerum Bononienſis ſit referendus. Puteos in Deorum templis, vel proxime ad illorum aras ab ethnicis excavatos, pro ſacris habitos, ſummaque religione cuſtoditos, levi negotio probari, oſtendique poterit, modo Romanam, Graecamque hiſtoriam memoria replicemus. Ac mihi nunc etiam a Romanis antiquitatibus exordium videtur eſſe capiendum.

Romae

22 *De Divinat. lib.* I.

Romae quidem paucis ab hinc annis in regione trans Tyberim quum ſtructores caementarii fundamentis parthenonis, nomine Divi Paſchalis, jaciendis allaborarent, puteus ſe in conſpectum dedit, quem BONAE DEAE ſacrum exſtitiſſe, quae adhuc circumſtabant veſtigia, manifeſto prodebant. Putei orificium ambiebat munimen opere lateritio; adjacebant utrinque parietes, cum duplici loculamento ſimulacris excipiendis; arula ſacrifica puteo attigua viſebatur; treſque ſupererant inſcriptiones, quibus aperte ſignificabatur, parietinas, lapideſque illos reliquias eſſe *Aediculae* Bonae Deae, a M. VETTIO BOLLANO, & CLADO reſtitutae, ſigniſque peror natae. Quumque puteus hoc ipſo murorum ambitu concluderetur, ne in controverſiam quidem cadit, illum quoque eidem Numini fuiſſe conſecratum [23]. Sed, ut antea dicebam, ſunt haec potiſſimum quaerenda in Graecia, cujus monumenta poſteritati ſunt tranſmiſſa diligentius. Quid autem in toto hoc genere ſplendidius commemorari poterit celeberrimo illo Aeſculapii puteo, in quem panegyrini ſtudioſe adornavit Aelius Ariſtides? Is itaque in oratione, *εἰς τὸ φρέαρ τοῦ Ἀσκληπιοῦ*, [24] ſe vix putei hujus pulchritudinem, ſalubritem, ac coeleſtem propemodum originem verbis exaequare poſſe fatetur. Erat hic Pergami in medio fano Dei ſalutaris Epidauri: ſcatebat *ἀπὸ τῶν ποδῶν τοῦ Σωτῆρος ex pedibus Servatoris* [25] aqua leviſſima, perennis, maxi-

C me

23 Marangoni *delle coſe Gentileſche cap.* LXXXII.

24 Ariſtidis *Orationes Tom. I. edit. Oxonien.*

25 ΣΩΤΗΡΑΣ omnes pene Deos dixerunt antiqui, immo hoc praeclaro nomine Imperatores, Regeſque ſuos honeſtarunt. Confer, ſi eſt opus, commentationem viri doctiſſimi Julii Caroli Schlaegeri, quae inſcribitur: *De Diis hominibuſque Servatoribus*, & inter acta noſtrae Aca-

meque potabilis ; &, ſi Ariſtidem audias, mirabilibus ſupra vim, ordinemque naturae patratis multo inſignior ; verum

Nec quodcumque volet poſcat ſibi fabula credi.

Illud tamen obſervari juverit, quod poſtremo loco adnotavit ſophiſta de hujus ſacri putei affluentia : τὸ ἱερὸν ὕδωρ καταρσίοις τὲ ἐξαρκεῖ τοῖς περὶ τὸ ἱερὸν, καὶ ἀνθρώποις, καὶ πίνειν, καὶ λούεσθαι, καὶ προσῶσιν εὐφραίνεσθαι. *Sacra aqua & luſtrationibus templi ſufficit, & hominibus ad potionem, & lavacrum, & ſpectantium oblectationi*. Magno etiam in honore, ac nomine fuit puteus in delubro Herculis Gaditani, cujus aqua in maximo maris acceſſu, & aeſtu deficiebat, quum vero illud reflueret, augebatur : quod quidem natura ipſa effici ex Polybio tradit Strabo [26]. Et quoniam in his verſatur oratio, Pauſanias eſt producendus, qui totius ferme Graeciae admiranda ſermone copioſiore complectitur. ἐν Μοθώνῃ (inquit) ἐστὶν ναὸς Ἀρθέμιδος, καὶ ἐνταῦθα ὕδωρ ἐν φρέατι κεκραμένον πίσσῃ, κυζικηνῷ μύρῳ μάλιστα ἰδεῖν ἐμφερὲς; *Mothonae eſt templum Dianae, ibique puteus, cujus aqua permixta pice, unguento Cyziceno maxime aſſimilis.* [27] Sed fieri minime poterat, ut ea laude, qua ceterae civitates gloriabantur, Athenae non antecellerent. Et revera de Neptuni Erechthei illic exſtructo fano ſcribit : διπλοῦν γὰρ ἐστὶ τὸ οἴκημα, καὶ ὕδωρ ἔστιν ἔνδον θαλάσσιον ἐν φρέατι .... τὸ δὲ φρέαρ ἐς συγγραφὴν παρέχεται ἦχον ἐπὶ νότῳ πνεύσαντι ; *duplex autem eſt aedicula, ibidemque puteus aquae*

Academiae Latinae Jenenſis Diſſertatiunculam Ludovici Guil. Balhornii *de Diis* σωτῆρσι. Attamen hunc titulum ſpeciatim ſibi vindicaſſe Aeſculapium, innumera monumenta teſtantur : quare Julianus Imp. *Orat.* IV. illum vocat σωτῆρα τῶν ὅλων *ſoſpiatorem hujus univerſi* ; & apud Ovidium *Metam.* II. Ocyroë infantem Aſclepium ſic affatur : *Totique ſalutifer orbi &c.*

26 *Lib.* III. 27 *In Meſſenicis.*

aquae marinae .... atque illud memoriae proditum, quod puteus, quando ſpirat auſter, ſonitum edat[28]. Et quod ad rem praecipue pertinet, in hac puteorum ſacrorum copia, ſuos Apollinem habuiſſe, ab ipſo Pauſania didicimus, qui in Boeoticis narrat prope ad Hyſiarum ruinas exſtitiſſe ναὸν Ἀπόλλωνος ἤπιέργος, καὶ φρέαρ ἱερόν. πάλαι δὲ ἐκ τοῦ φρέατος κατὰ Βοιωτῶν λόγον ἐμαντεύοντο πίνοντες; *templum Apollinis, & puteum ſacrum: ex quo, ut Boeotes vulgarunt, bibentes olim vaticinabantur*.[29]

Jam vero ſi quis ex me ſciſcitetur & quaerat, quorſum in locis nullo uſu profano temerandis putei foderentur? quin longam ad id orationem comparem, res ipſa eloquitur: certe ut aquam pro luſtrationibus, ſacriſque lotionibus, quarum tanta erat religio, in promptu haberent. Non latet me eſſe aliquos, qui eam animo imbibere ſententiam, ut credant, ſacris faciundis puteanam aquam nullo modo potuiſſe comparari: hucque recidit omnis eorum oratio. Lege caeremoniarum cautum, ſanctumque fuiſſe, ut *aqua viva* victimae praepurgarentur, *vivo rore* luſtrarentur ſacerdotes, *vivo flumine*, qui oratum veniebant, adſpergerentur: hoc autem nomine nonniſi aquam vel fontanam, vel fluvialem, vel marinam proprie appellari; eamque ob rem circa templa fuiſſe exſtructos receptus illos, quos *faviſſas* vocat Feſtus[30], aquae ad uſum ſacrum includendae. Quam ſane opinionem tenuiſſe video Struvium[31], Lomejerum[32], Lakemacherum[33]. Sed totum id tantum abeſt a vero, ut nihil magis vero poſſit eſſe contrarium. Annon Ariſti-

 des

28 *In Atticis*.
29 *In Boeoticis*
30 *In hac voce*.
31 *De ſacrorum Caeremoniis cap.* I.
32 *De Luſtrationibus Gentilium capit.* XVII.
33 *Antiquitat. ſac. Graecorum Parte* III. *cap.* III.

des plane, dilucideque perhibet, Pergamenſes, quum luſtratione indigerent, aquam e puteo Aeſculapii hauſtam ad id aptiſſimam habuiſſe? Ergo ne tot Graecae, Latinaeque urbes, quae fontibus, ac fluentis carebant, ab hoc ſacrorum genere debuerant abſtinere? Ergo ne Hyampolitani, qui terram ſic aridam, & ἄνυδρον incolebant, ut unus vix puteus ſuppeteret [34], ſi caede, ſi venere, ſi funere polluebantur, labe abſtergi, expiarique minime poterant? Scitum etiam ex Homero, Sophocle, Euripide, Virgilioque illud eſt, nec templa adire, nec ſacrificia rite perpetrare, nec Diis cultus, honores, preces adhibere cuiquam licuiſſe, niſi lotio praeceſſiſſet: dura ne adeo, & incommoda erat incolarum ſiticuloſae telluris conditio, ut a delubris, ſacriſque arcerentur, quod puteos tantummodo haberent? Sed placet propoſitum adhuc urgere, hancque unam ſententiam levitatis, falſique convincere. Quaenam, rogo, aqua antiquis *viva* dicebatur? quae eſſet naturalis, perennis, pura, non collectitia, non ſtagnans, non limoſa. Quis vero inficiabitur, ſingulas ejuſmodi proprietates puteali aptiſſime convenire? Nonne per abditas terrae rimas aeque ac fontalis ſcaturit? & quid inter fontes, puteoſque diſcriminis, niſi quod in illis humor ſponte ſua erumpit, & in telluris ſuperficiem exilit, in his autem defoſſione cis terram ſcaturigo quaerenda ſit? Idciro Cicero *juges* appellat puteorum aquas [35]; Horatius item [36] ad Valam;

Collectoſne bibant imbres, puteoſque perennes
Jugis aquae &c. . . . .

Id optime profecto viderat omnis antiquitatis peritiſſimus

34 Pauſanias *in Phocicis*. 35 *De Divin.* II. 36 *Epiſtolar.* I. XV.

mus Varro de R. R. cujus verba juvat exſcribere : *ſi omnino aqua non eſt viva , ciſternae faciundae ſub tectis , & lacus ſub dio ; ex altero loco ut homines , ex altero pecudes uti poſſint*[37] . Ex quo ſolis luce clarius emergit , Varronem pro *aqua viva* putealem habuiſſe , ſecus enim nón ſolum ciſternas , lacuſque , ſed & puteos faciundos dixiſſet .

§. V.

De puteis , quibus organa hydraulica aptabantur . Puteus cum organo in Laureto *a Nerone factus . Puteus νειλομέτρικος . Aſtromonicus Syenes . Quid Vitruvio putei in aquaeductibus . Putei ſervis criminoſis mancipandis , itemque plebeculae ſepeliendae .*

Vetera monumenta quamvis inter ſe ſe diſtracta , diſtinctaque videantur , admirabili tamen nexu ſaepe copulantur , ut dum alterum illorum ſedulo expendimus , pleraque alia nativa quadam ſerie occurrant , mentique offerantur :

. . . . alterius ſic
Altera poſcit opem res , & conjurat amice .

Dum itaque in hoc eram , ut breviuſculam de Puteo Bononienſi orationem adornarem , multo plura mihi ſuppeditari animadverti , quibus noſtra tractatio opportunis quaſi ornamentis augeretur ; quare ne id reliquum facerem , quo praeſens commentariolum plenius , accuratiuſque cumulari poterat , cetera , quae ſunt propinquitate materiae finitima , ſermone complecti deliberavi . Ac primo tum Graecas , cum Romanas gentes puteos feciſ-
ſe

37 *L.* II.

ſe video *Organis hydraulicis* aptandis, quorum ſpeciem imaginemque ob oculos proponunt nummi maximi moduli, & *Contorniati* Neronis, ac Valentiniani III. apud Triſtanum [38], Bandurium [39], atque Havercampium [40]. Putei περιςρομίῳ fiſtulae ſcalari forma compactae imponebantur: ſingulis ſingula inferne erant incluſa epiſtomia, quae ferrea fune taxillis paullo oblongis colligabantur. Antlia vel pone, vel juxta machinam erat, quae quum varie agitaretur, aquam e puteo elevabat, eaque pondere ſuo ventum excitans, & taxillos comprimens, indeque communicato motu epiſtomia recludens efficiebat, ut aër in fiſtulas influeret; quo pervadente ſonus varia modulatione reddebatur, ſive ut Publius Porphyrius Optatianus muſicos ejuſmodi hydraulicos calamos deſcribens, accinit [41];

Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud ſibi diſcors,
Hinc, atque hinc animatque agitans, augetque reluctans.

Machinae hujus inventorem Ptolemaei Evergetis aetate tonſorem quemdam Alexandrinum, nomine Cteſibium, fuiſſe, prodit Athenaeus [42], qui ejuſmodi hydraula juxta caenationes convivis exhilarandis fabrefieri conſueviſſe ſcribit, affirmatque ſpiritum in illa immitti ad ſonum ciendum, κατεςραμμένοι γὰρ εἰσὶν οἱ ἀυλοὶ ἐις τὸ ὕδωρ, καὶ ἀρασσομένοι τȣ͂ ὕδατος ὑπὸ τίνος νεανίσκȣ; *fiſtulis in aquam obverſis, & aquam juvene quodam agitante.* Sed quoniam perdifficile eſt id genus machinamenta verbis ſatis

38 *Comentaires hiſtoriques ſur les Medailles tom.* I.
39 *Numiſm. Imp. Tom.* II.
40 *De Nummis contorniat. n.* X. XI. & *num.* LVI.
41 *In panegyrico Conſtantini.*
42 *Dipnoſoph. lib.* IV. *cap.* XXIII.

ſatis apte deſcribere, ex nummo Neroniano ſchema conſpiciendum ſubjiciemus.



Nero igitur, qui laetiſſima muſices voluptate permulcebatur, ſeque affatim in quaſcumque porrigebat blandicias, licet metu conjurationis Neapoli Romam redire compulſus, hic *quoſdam e primoribus viris domum evocavit, tranſactaque raptim conſultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi, & ignoti generis circumduxit* [43]: tantum nimirum exoleta jam vetuſtate, animoque penitus defixa vitia poſſunt, ut etiam inter diſcrimina, ac pericula his abripi, depravarique ſinamus. Cujus organi ſono quum ille mirifice oblectaretur, ipſoque imperante, hoc muſici inſtrumenti genus auctius, perfectiuſque evaſiſſet, ut novum pene, incognitumque videretur; ideo vel ipſemet Nero, vel monetarii, qui ad Caeſarum ſuorum gratiam colligendam omni utebantur aſſentatione, organum puteo aptatum in nummis *miſſilibus* excudi curarunt. Quamquam ſunt quaedam in hoc numiſmate adjuncta, quae mihi videntur commonefacere quonam loco Nero puteum defodi, organumque imponi mandaverit.

43 Svetonius *in Neron. cap.* XLI.

verit. Nihil diſputo de Servo, qui aut ſitulam manu arrigit, aut antliam urget, quae cum puteo communicat; ſed obſervatu digna LAVRI folia juxta puteal octogonum, tum inſcriptio LAVRENTIN. AVG., de quo duplicem eſſe video antiquariorum ſententiam, alteram Triſtani, Havercampii alteram. Ille quidem ex epigraphe, & lauro conjicit, in ſaluberrimo Laurenti oppido a Nerone puteum cum organo conſtructum, καὶ γὰρ τὸ χωρίον μεγίστοις κατάσκιον δαφνηφόροις ἄλλεσιν, ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα τῷ χωρίῳ, *quod ea regio multis ſylvis è lauro opacetur, ex quo etiam regioni inditum nomen* [44]. Verum quod illuc ſe ſe reciperet Nero, ſine teſte, ſine auctore dicitur; qua de re mihi Havercampii ſententia ad veritatis ſimilitudinem videtur propenſior. Is namque cenſuit, opus illud in *Villa Caeſarum* exſtitiſſe, ubi *lauretum* fuerat, ex quo Imperatores triumphaturi laureas decerpebant [45], quodque noviſſimo Neronis anno radicitus exaruiſſe tradit Svetonius [46]: ſylvula enim illa multo verius *Laurentinum Auguſti* appellari poterat. Valentiniani autem tempore id genus organa a quodam PETRONIO exactius fabrefacta, nummi illius non obſcure ſignificant.

Nota, & in vulgus pervagata res eſt, ſeptemgeminum flumen Nilum mira aquarum redundantia increſcere, ſeque in circumpoſitos, ſubjectoſque agros effundere. Aedificia erant tum in ſuperioris, tum in inferioris Aegypti urbibus ad aquae excreſcentiam dimetiendam, quae Νειλοσκοπεῖα, & Νειλομέτρια dicebantur, inter quae celeberrima Memphiticum [47], Elephantinum [48], Syeniticum [49]. Sunt haec deſcripta largiter a peregrinatoribus Paullo Lucca, Mailletto, Pocokio, & Jablonskio in

44 Herodianus *lib. cap.* I. *c.* XXXVI.
45 Plinius *H. N. lib.* XV. *cap. ult.*
46 Sveton. in Galba *cap.* I.
47 Diodorus Siculus *Biblioth. lib.* I.
48 Plutarchus *de Iſide*.
49 Heliodorus *Aethiop. lib.* IX.

in *Pantheo Aegyptiorum lib.* IV. *cap.* III. Porro inter varia νειλομετρίων genera erant putei ex integro lapide in fluvii ripa ſtructi, in quos per emiſſarium aqua influebat, notiſque numeralibus in parietibus puteorum inſculptis, incrementa, & decrementa notabantur. Plinius H. N. lib. V. *auctus per puteos menſurae notis deprehenduntur* [50]. At quoniam de Syenes illata mentio eſt, oblatum mihi nunc locum arbitror, quo de *Puteis inaquoſis* pauca dicam. Medio Solſtitii die, ſive ut Pauſanias ait, χρόνον μὲν δὴ τὸν ἴσον ἔπεισι ἥλιος τὸν ἐν τῷ οὐρανῷ καρκίνον, *ea tempeſtate, qua ſol in coelo appropinquat cancro*, [51] ea in Vrbe nullam umbram a corporibus projici traditum eſt; quod qua ratione contingeret, jamdudum Eratoſtenes, Ptolemaeus, Keplerus, Galilaeus, Snellius, Varenius, aliique aſtronomi docuerunt. Igitur

. . . . . . *umbras nuſquam flectente Syene*,

puteus illic experimenti gratia fuit defoſſus, qui totus eo die luce ſolis complebatur. [52] Puteos etiam nuncupavit Vitruvius [53] *aeſtuaria*, in aquaeductibus interdum prominentia, quibus reſpirare poſſet perfluens aqua, ne concluſus aër curſum illius remoraretur. Denique ad imos quoſdam, abjectoſque carceres, & ad plebeculae ſepulcra denotanda vox haec traducta fuit. Quid ſibi vult perſona illa Plautina in Aulularia, quum de Coco rapaci inquit: *comprehendite, vincite, verberate, in puteum condite*? [54] Ita ne in ſervos criminoſos crudeliter animadvertebatur, ut aqua praeſocarentur? Convenit inter do-

D ctos

50 *Cap.* IX. Confer Strabonem *lib.* XVII.

51 Pauſanias *in Arcadicis*

52 Plinius *H. N. lib.* II. *c.* LXXIII.

53 *Architect. lib.* VIII. *cap.* VII.

54 *Act.* II. *Sc.* V. Videſis Turnebum, & Lambinum *ad h. l.*

ctos, pro puteo hypogaeum, barathrum, carcerem ſubterraneum eſſe intelligendum, in quem conditi ſontes, nocenteſque ſervi patrati ſceleris penderent poenam. Quod ab Hebraeorum conſuetudine ſi manaſſe dixero, facile id mihi dabunt, qui meminerint Davidici φρέατος διαφθορᾶς, *putei interitus*, [55] carceris ſcilicet, ex quo ſemel illuc conjectis gradum aliquando revocare negatum eſt. Recondendis quoque pauperum, mancipiorumque cadaveribus (quod erat alterum in diviſione) putei ſuburbani altiſſime defoſſi addicebantur. Romae in Exquiliis

Hoc miſerae plebi ſtabat commune ſepulcrum;

cui veteres, neſcio an contemptu, an alia de cauſſa, *Puticuli* nomen fecerunt. Vocis originem, ſenſumque duplicem luculenter aperit Feſtus. *Puticulus antiquiſſimum ſepulturae genus appellatus, quod in puteis ſepelirentur homines; qualis fuit locus, quo nunc cadavera projici ſolent extra Portam Eſquilinam: quae quod ibi putreſcerent, inde potius appellatos exiſtimat puticulos Aelius Gallus, qui ait, antiqui moris fuiſſe, ut praeſentes familias in locum publicum, extra oppidum mancipia vilia projicerent; atque ita projecta, quod ibi putreſcerent, nomen eſſe factum puticulis.* [56] Id ſepulturae genus non tam Romanis, quam exteris, barbariſque gentibus uſitatum fuiſſe, non haeſitans affirmavero ex vetuſtiſſimis monumentis patere. Evolvat, qui iis immorari deſiderat, vel antiquitates Bracharenſes ab Ordinis mei alumno, omnique doctrina perpolito viro P. Contador de Argotte patrio ſermone traditas, vel Germanicas Keyſleri ſtudio explicatas, a quibus

55 Vide Criticos Sacros *ad Pſal.* LIV. 56 *De verb. ſign. lib. cap.* XVI.

quibus ſepulcrales hujuſmodi ſcrobillos proferri, illuſtrarique deprehendet. His a me conſulto, cogitateque in anteceſſum diſputatis, immo neceſſarie primum conſtitutis, ad alteram commentarii partem contento ſtudio, curſuque properabit oratio; facile enim ab hoc aditu, januaque patefacta ad veriſſimam Bononienſis monumenti interpretationem pervenietur.



COMMENTARII
PARS POSTERIOR
ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

§. I.

Putei alii dedicati, alii conſecrati: quid inter utroſque diſcriminis. Puteus Arretinus D. D. dedicatus, Bononienſis conſecratus. Genius Caeſaris a Bononienſibus tamquam Deus Πάρεδρος *habitus. Cur Apollini in noſtro marmore conſociatus, & prae ceteris cultus.*

QVANDOQVIDEM id oneris habeo, ſi onus eſt id appellandum, quod cum laetitia, & voluptate feras, ut hujus pulcherrimi, praeſtantiſſimique monumenti non incertis, levibuſque quaeſita conjecturis, ſed conſtans, atque germana interpretatio a me tradatur, ex qua perſpicue appareat, quid veriſſime illud fuerit, quo poſitum loco, cui conſecratum, in quem finem, uſumque factum, quis demum operis gratia pecuniam contulerit; jam eo rem adduxiſſe mihi videor, ut ex hactenus diſputatis illud conſectarium ſit, PVTEVM BONONIENSEM neque refrigeratoriis, aut medicis, neque caſtrenſibus, aut gregariis, neque publicis, aut ſepulcralibus, muſiciſve eſſe accenſendum, ſed SACRVM exſtitiſſe, loco ſacro exſtructum, ſacriſque faciundis adjudicatum. Sed quia interdum, ſicuti a Cicerone praeclare eſt dictum, licet ita perſpicua ſit veritas, ut eam infirmare nulla res poſſit, tamen eſt nonnumquam adhibenda vis, ut eruatur, peri-

periclitandae nunc ingenii, doctrinaeque vires, ut ea argumentando, ediſſerendoque non in lucem modo, ſed in omnium oculis proferatur. Principio quidem nemini obſcurum arbitror, verbo *dedicare* hanc non raro ineſſe notionem, ut ea opera, quae in antiquis marmoribus *dedicata* dicuntur, eadem Diis conſecrata, religioſiſque caeremoniis illis devota, penituſque addicta cenſenda ſint; haec ſiquidem vox uſurpata legitur pro templis, pro aris, pro ſtatutis, quae ſacratiſſima profecto erant, quippe quae ſolemni inauguratione, conceptiſque formulis ſacrarentur. Splendidius haec diſſeruntur a Briſſonio [1], atque Antonio Daleo [2], quin ego in re non ambigua utar teſtibus non neceſſariis. Nihilominus cogitanti mihi vera, & ſapiens videri ſolet Cl. noſtri Mazzochii ſententia, a quo illud obſervatum eſt, [3] dedicationem, & conſecrationem revera inter ſe differre, & illam prae iſta multo latius patere. Equidem quae conſecrata, eadem & dedicata, ſed non viciſſim; nam quum dedicare nihil aliud per ſe ſit, niſi rem aliqua celebritate, uſuque inchoari, conſequens eſt, ut ſola dedicatione minime evaderet ſacra. Quis enim eſt, qui domus, vias, pontes, aquaeductus veluti ſacros habeat, quod aliquando fuerint dedicati, id eſt uſui dicati? Atque hoc idem diſcrimen in puteis eſſe conſiderandum monet mutilum Aretinum marmor apud eruditiſſimum Gorium [4].

QVI-

1 *De Formulis* I.

2 Van-dale *de conſecrationibus Ethnicis*.

3 *Diatrib. de Dedicat. ad cap.* III. *Amphiteatr. Camp.*

4 *Inſcript. Etruriae tom.* II.

QVIRINVS . AVGVSTOR. N. SER. PED
NYMPHAS . POSVIT . PVTEVM . INST
LEGIS. D.D. QVOD. DEDICATVM . F
M. POMPEIO . MACRINO. P. IVVEN

Etſi decreto Decurionum, qui & locum fortaſſe ex legis inſtituto Quirino dederant, puteum illud dedicatum fuerit, non ideo auſim ſacrum, ac religioſum putare: ſecus de Bononienſi ſtatuo, atque affirmo; notam enim praeſefert, qua repente a profanis aquarum receptubus internoſcatur. Etiamne in tam perſpicuis rebus argumentatio quaerenda? Apollini *tutelari* [5], *defenſori* [6], *ſalutarique* Deo [7], rogante L. Apuſuleno, ab his, quibus conſecrationis perficiendae jus erat, docet inſcriptio puteum fuiſſe ſacratum, non ſolum quod exinde ab eo Numine cuſtodiri, conſervarique oportere crederetur, verum etiam (quod poſt maxime intelligetur) ut quum Apollini, Genioque Imperatoris eſſet litandum, vivam, puramque aquam ſubminiſtraret. Verum haec dicentur alio loco; nunc rerum ordo in prima tituli linea paullisper adhuc conſiſtere me, ac commorari jubet. Fruſtra profecto omnis a me ſuſciperetur labor, ſi de GENIORVM cultu quidpiam vel curſim dicere inſtituerem; quid namque in toto hoc genere eſt, quod diligentiam effugerit vel M. Georgii Vonnae in *de Geniorum* ὀνοματολογία, vel Bernardi L. Molenbecchii *de Genio Principis*, vel Madriſii [8], vel Maccarii [9], qui de aedibus, de ſignis, de ſacrifi-

5 Gruter. LXXVII. I.
6 Idem XXXVII. IX.
7 *In num. Voluſiani*.
8 *Lezione ſui Genj: Miſcellanea di varie operette tom.* VII.
9 *Diſſertazioni dell' Accademia di Cortona Tom.* VI.

criſiciis in honorem Geniorum, deque more per Genium Caeſarum jurandi diligenter, ac prope faſtidioſe ſcripſerunt? Quid adeo in ſermonem hominum venit, ut illa Prudentii carmina, [10] quibus Geniorum millia multa ab ethnicis olim effingi, & non hominibus modo, ſed inanimatis quibuſvis rebus aſſignari edocemur? Sed tria pergam explicare ad rem dilucidandam peropportuna. Primum eſt, gentes omnes in ditionem poteſtatemque P. R. redactas ab ipſo Imperii exordio *Genium Caeſaris* impenſe ac propalam coluiſſe: indicio eſt lapis Puteoli loco publico, editoque olim poſitus [11].

GEN. C. JVL. CAES.

Inſequutis temporibus eadem ſtetit ſive religio, ſive aſſentatio; ſaepe enim occurrunt arulae ſacrae: GENIO NERONIS -- GENIO CAESARIS SEVERI ALEXANDRI -- GENIO IMPERATORIS GORDIANI -- GENIO JOVII AVGVSTI -- GENIO CAESARVM --; ſecus tamen accidit in nummis S. C. percuſſis, nam a Nerone, in cujus pecunia ea exſcalpta epigraphe, *Genio Auguſti*, uſque ad Gal. Maximianum vix alteri Imperatori hic honor tributus conſpicitur. Deinde ſi veſtigia temporis anteacti mente percurramus, plane cognoſcitur exſtitiſſe Deos, quos συνεςίȣς, ὁμωροφίȣς. ἑταίρȣς dicebant, ſcilicet ſocios, contubernales, comites, quoſque uno loco, communi ara, eiſdemque ſacrificiis colebant; atque hanc culturam ubique gentium obtinuiſſe, accitis, & conraſis ex omni vetuſtate exemplis evincit Cl. Arnaudus in libro de

10 *Ad Symmac. lib.* II.

11 Ex Mazzarella, & Capaccio exſcripſit Reineſius. *Claſſis* I, CVXIV.

de Diis Παρέδροις. Genium utique aliis numinibus perſaepe conſociatum probant litterata marmora, quorum auctoritas & debet, & ſolet in omni cauſſa valere plurimum. Vt ex multis pauca referam, duo in promptu ſunt, alterum ex Reineſio [12], alterum ex Muſeo Vindobonenſi [13].

I. O. M. JVNONI. RE
GINAE. MINERVAE
ET. GENIO. LOCI. T.
FL. PEREGRINVS. &c.

CAELESTI. AVGVSTAE. ET
AESCVLAPIO. AVGVSTO. ET
GENIO. CARTHAGINIS. ET
GENIO. DACIARVM. &c.

Nihil autem in hoc non fiebat meditate, nec duo Dii ſine aliqua vel fabulari, vel phyſica, vel morali ratione copulabantur, maximeque ſpectabatur, quae inter illos intercederet, originis, morum, inventorum, munerum, officiorumque ſimilitudo. Quare dum Bononienſes in hoc ſacro lapide APOLLINI GENIVM CAESARIS adjunxerunt, certam inter utrumque convenientiam perſpectam, cognitamque habuiſſe, non eſt ambigendum. Convenientia autem procul dubio erat Auguſti Caeſaris erga Apollinem ſingularis obſervantia, piaeque mentis propenſio, & Apollinis vigil, ac praeſentiſſima tutela, qua Caeſari cuſtodia, defenſio, praeſidiumque parabatur. Poſtremo eſt illud Bononienſibus in laude, ac commendatione ponendum, quod quum eſſent illis vota nuncupanda pro incolumitate, ſalute, victoriiſque Caeſaris, ipſius potius, quam Coloniae, aut Municipii ſui Ge-

12 Reineſius *Claſſ. num.* XXVIII. 13 *Pag.* CCXXXIX. *num.* I.

Genium comprecarentur. Puteolani quidem pro Imp. Hadriani fauſtitate Genio ſuae Coloniae ſacrificabant [14]; ſed conſultius a Felſineis hac in re proviſum, quibus quum ex θελογυμένοις eſſet ſcitum, Genium principis fore quid praeſtantius, celſiuſque, hujus opem, fidemque implorabant, meliorque illis affulgebat ſpes, ut dum inter ſacrificandum ſupplicarent:

Magne Geni, cape thura libens, votiſque faveto,

is potiſſimum, qui erat Caeſaris ſoſpitator, & ductor, precationi annueret, optatiſque propitius occurreret.

ſ. II.

Sub nomine Auguſti Caeſaris *Octavium hic deliteſcere. Affectata ab eo ex Apolline progenies. Mos ipſius Apollinis inſignia deferendi. Apollo in nummis primi hujus Auguſti. Oblatum ei in bello Actiaco ab Apolline auxilium. Tria a Caeſare praeſtita referendae gratiae cauſſa. Ejuſdem praeclara in Bononiam merita.*

Sed quis neſciat, duo haec nomina *Caeſaris*, & *Auguſti* ſibi adciviſſe quotquot rem Romanam ſummo cum imperio adminiſtrarunt? Primum quidem a Cajo Julio ad ſex priores Imperatores, tamquam gentilium cognomen, ad ceteros vero veluti ſplendida majeſtatis appellatio manavit. Alterum poſt C. Caeſarem Octavium jugiter aſſumptum fuit a ſucceſſoribus, ut ſe vel adoptione quadam, vel jure hereditario imperium tenere oſtenderent [15]. Hujus itaque diſputationis erit proprium, ut

 eruere

14 Muratorius *Nov. Theſaur Inſcript. pag.* LXXVIII.

15 Si quid auctoribus in re ceteroqui notiſſima eſt opus, confer Georgium Laurentium Hausfriſium, *de Caeſare deſignato ſucceſſore Imperii antiqui.*

eruere conemur, quiſnam Imperatorum ſub hoc communi, indefinitoque nomine *Auguſti Caeſaris* hic deliteſcat, cujus Genius cum Apolline merito eſſet conſociandus. Ac mihi ſtatim de ipſo Octavio ſubit cogitare. Movet me primum affectata ab illo ex Apolline progenies, qua ſe Phoebi ſatu conceptum, editumque gloriabatur; quod egregie expreſſit Sidonius [16] his carminibus:

Magnus Alexander, nec non Auguſtus habentur
Concepti ſerpente Deo: Phoebumque, Jovemque
Diviſere ſibi. Namque horum quaeſiit unus
Cinyphia ſub ſyrte patrem, maculis genitricis,
Alter Phoebigenam ſe ſe gaudebat haberi,
Poeonii jactans Epidauria ſigna Draconis.

Nimirum ſicuti Jovem ſub ſerpentis ſpecie ad Olympiam irrepſiſſe fingebatur, ita ad Acciam matrem ſuam ſimulata draconis imagine Apollinem acceſſiſſe dictitabat. Hinc quum caena opipare parata cum amicis congraecaret, ipſe inter convivas, *Deorum, Dearumque habitu indutos*, Apollinis veſtimenta, inſigniaque praeferebat, unde illud poetae [17],

Impia dum Phoebi Caeſar mendacia ludit.

Et quo liberius hujus Numinis patrocinio ſe, ſuaſque fortunas commendaret, Apollini templum in ipſo palatio perfecit, dedicavitque. Sunt etiam qui quum in illius nummis Apollinem citharaedum ſcopulo inſidentem videant, adſcriptaque ea verba: CAESAR DIVI F., addubi-

16 II. *Carm. ad Anthemium Coſ.*

17 Svetonius *in Aug. cap.* LXX.

dubitent Divi Julii ne, an potius Apollinis filium hoc emblemate credi vellet. Illud nulli obſcurum, eam apud Romanos inveteraſſe opinionem, in teterrimo, ac periculoſiſſimo Actiaco bello auxilium ab Apolline Octavio fuiſſe oblatum; idque ſic fuerat Virgilio perſuaſum, ut Aeneid. VIII. poetico abreptus oeſtro Phoebum finxerit coelo delapſum, Auguſtum pugnaciſſime defendere, Antonianos vero in fugam agere, teliſque inceſſere.

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Deſuper: omnis eo terrore Aegiptus, & Indus
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.

Quamobrem, quum victoriam illi acceptam referret Auguſtus, obſtrictus memoria beneficii ſempiterna, ut gratum memoremque proderet animum, tria praeſtitit, quorum, duo a Strabone libro VII. recenſentur. Primo in illius templo ad ſinum Ambracium, ἐν οἷς ἀνέθηκε τὴν δέκα νέαν ἀκροθύνιον ἀπὸ μονέκροτον μέχρι δεκήρους; *undeviginti naves decimarum nomine repoſuit, ab uno remorum ordine uſque ad deciremes*. Poſt oblatas pretioſiſſimas haſce manubias, Actia certamina, inſtar Olympiorum, ipſi Deo dicata, ἐντιμότερον ἐποίησεν, *honorificentius edidit*. Tandem pecuniae ſuae notam eſſe voluit Actii Apollinis effigiem: cujus rei fama quum exteras etiam oras pervaſiſſet, illam in ſuis nummis cudi curarunt Graecae Vrbes nonnullae, quas inter emicuerunt monetales ΚΑΛΥΝΔΕΩΝ, ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ, ΒΙΖΥΗΝΩΝ officinae. Maxima autem, & praeclara erant Auguſti in Bononienſes merita, ob quae huic principis ingenio, ſtudio, credulitati obſecundarent, litarentque Deo tutatori, Genioque ipſius.

ſius. Nam quamvis ſciret Imperator, illos Antoniorum clientelae commendatos, ut mos erat populorum, qui ſibi patronum Romae deligebant, nihilominus conceſſit, ut Antonianis partibus faverent. Claſſicus eſt de eo Svetonii locus. *Bononienſibus quoque publice, quod in Antoniorum clientela antiquitus erant, gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus ſuis.* [18] Aliter rem narrat Dio, ſic tamen, ut major exſtiterit Bononienſium gloria. Poterat fortaſſe Caeſar hoſce Antoniorum fautores bonis multare, eiſque ingenuitatis jura adimere, ſed quia perſpiciebat, illos conſilio, & armis plurimum pollere, permagni intereſſe cenſuit, ſi potius tamquam Romani nominis amicos benefactis ſibi devinceret. Πάντας γὰρ τοὺς ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου ἀποικισθέντας, τοὺς μὲν ἐκφοβήσας, ἅτε ὀλίγους ὄντας, τοὺς δὲ καὶ εὐεργετήσας, προσετέθειτο. τά τε γὰρ ἄλλα, καὶ τοὺς τὴν BONΩNIAN ἐποικοῦντας, αὐτὸς αὖθις, ἵνα δὴ καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ἀπῳκίσθαι δοκῶσι, προσκατεστήσατο: *quos enim Antonius in Colonias deduxerat, eos Caeſar partim metu, quod pauci eſſent, partim beneficio ſibi adjecerat: cujus gratia inter alia,* Bononiam *quoque denuo Coloniam militibus conſtituerat, ut a ſe id beneficium ii habere viderentur.* [19] Poteratne ergo major eſſe inter Apollinem, Geniumque Caeſaris convenientia, atque conjunctio, quam quae nuper oſtenſa eſt? Aut quandonam Felſineos gratiae referendae oportuit eſſe ſtudioſiores, quam quum illos Auguſtus tanto beneficio affecit, ornavit, auxit? Mihi igitur haud difficilis erit deliberatio, ad quem ex Imperatoribus hanc noſtrae inſcriptionis partem referam; omnium ſiquidem rerum conſpirans, ac pene conflatus conſenſus, nonniſi ipſum Octavium intelligi debere in apertum prodere videtur.

§. III.

18 Idem *cap.* XIV.

19 *Libro L.*

§. III.

Beneficia a Nerone Bononienſibus collata. Apollinem cantu, lyraque aemulabatur. Apollo Nero etiam in nummis nuncupatus. Marmoris tamen epigraphen ad illum minime pertinere.

Interim vero ne quidpiam diſſimulem, quod in hac quaeſtione alterutra ex parte licet afferri, non praeterit me, Claudium Domitium Neronem Bononienſium obſervantiam, grataeque mentis officia demereri aeque potuiſſe, pariterque in Apolline geſtu, habitu, cantu, lyra imitando, fingendoque ſic inſaniiſſe, ut ſe novum Apollinem ſalutari perditiſſime appeteret: neque haec duo longam orationem deſiderant. Primo imperii ſui anno igne miſere deflagrarat Bononia, jacebantque exitiali abſumpta incendio publica aedificia. Nero, qui tum flexanime, atque omnium regina rerum eloquentia jam valebat, pro Bononienſibus in Senatu cauſſam dixit [20], & tam apte, tam idonee, tam robuſte dixit, ut, teſte Tacito, *eodem oratore Bononienſi Coloniae, igni hauſtae, ſubventum fuerit centies ſeſtertii larigitione.* [21] Verum ſi haec contuleris cum his beneficiis, quae ab Auguſto Bononienſibus collata memorantur, tantum Neronianis antiſtare intelliges, quantum remiſſa bonorum confiſcatio, reſtituta populo univerſo libertas, aſſerta cum P. R. ſocietas curiae, balneis, gymnaſio, theatro praeſtabant. Quod ad alterum attinet, utique non deeſt copia argumentorum, quibus doceatur, Neronem Apollini

20 Svetonius *in Nerone cap.* VII.

21 *Annalium libro* XII.

lini ſe non comparaſſe modo, ſed etiam praetuliſſe. Tantum ſe fidibus ſcire putabat, ut Romae in ſcenam prodierit indutus habitu, quem Themiſtius vocat στολὴν κιθαρῳδικὴν [22], tragoediaſque perſonatus cantaverit; tum in Graeciam contenderit cum eximiis pſaltriis certaturus; quos omnes in Iſthmiis, Olympiiſque, teſte Philoſtrato, [23] devicit. Dum haec a Nerone inepte gererentur, plaudebat populus acclamans: ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος, εἷς ὡς Πύθιος; *quam pulcher Caeſar, Apollo, Auguſtus, unus velut Pythius*. [24] Neque illud Tranquilli praetermittendum, ſtatuas ſuas citharoedico habitu effingi mandaſſe, *qua nota etiam nummum percuſſit*. [25] Sed quod in Latinis denariis nonniſi veſtis indicio portendebatur, hoc a Graecis manifeſto lemmate in omnium oculis, conſpectuque defixum. Huc ſpectat nummus ille, quem ego in Aelienſium officina cuſum exiſtimo, in cujus antica parte ſunt circumſcripta illa verba, ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ. [26] Ego tamen huic argumento non plus tribuam, quam res, & veritas ipſa concedat. Certe Nero nullam ſibi in hoc arrogabat divinitatem, nec ex Apolline propterea genus ducere dicebat, ſed omnis ab illo tantopere quaeſita laus in eo verſabatur, ut jucunda vocis modulatione, doctiſque lyrae pulſibus Apolline praeſtantior crederetur. Quo laudis genere ita latiſſime incendebatur, ut etiam alios ludorum praeſides Deos in theatro aemularetur; hinc docet Xiphilinus, illi fuiſſe occlamatum a Senatoribus; Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ, Νέρωνι τῷ Ἀπόλλωνι *Neroni Herculi*, *Neroni Apol-*

22 Confer Gotlob. Zeibichium in ſuo *Athleta* παράδοξῳ. *cap.*VIII.

23 *In vita Apollonii lib.* IV.

24 Xiphilinus *in Nerone*.

25 Svetonius *cap.* XXV.

26 Nummus obvius, centieſque recuſus.

Apollini.[27] Igitur quo major, atque conjunctior Octavii cum Apolline affinitas, quo verior, & excellentior illius in Bononienſes liberalitas, atque beneficentia, eo probabilior noſtra interpretatio, ſcilicet ea inſcriptionis verba, GENIOQVE AVGVSTI CAESARIS, ad illum commodius, aptiuſque, quam ad Neronem referri. At quid ego externa conquiram, quum liceat mihi argumentum in explicationis meae praeſidium ex ipſo marmore accerſere? Nomen AVGVSTI praeter ordinarium morem CAESARI praepoſitum hic legimus, quod ego non inſcitia, neque oſcitantia quadratarii, ſed de induſtria factum reor; ut conſpecto marmore legentium mens ad unum Octavium cogitatione traduceretur. In ſeptimo illius Conſulatu, quum eſſet diſceptatum, qua potiſſimum appellatione Imperatores forent nuncupandi, ipſe ad invidiam declinandam, rejecto *Romuli* nomine, ex Munacii Plancii ſententia [28] *Auguſtus* maluit dici, ὡς πλεῖόν τι ἢ κατ᾽ ἀνθρώπους ὢν ἐπικλήθη. πάντα γὰρ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα Αὔγουστα προσαγορεύεται. ἐξ οὗπερ καὶ Σεβαστὸν αὐτὸν ἑλληνίζοντες προσεῖπον ὥσπερ τινὰ σεπτὸν, *tamquam aliquid eſſet ſupra hominum conditionem; nam quae in honore, & cultu ſunt, ea auguſta vocantur, unde qui graeciſſabant* σεβαστόν *vocabant quaſi ſanctum*.[29] Hinc tum quia primus hoc nomen aſſumpſerat, tum quia exinde ſupra mortales quodammodo evehebatur, tanti illud fecit, ut ſolo Auguſti nomine in nummis appellaretur a Triumviris monetalibus, maximeque a Coloniis Calaguri, Ilerda, Bilbili,

27 Xiphilinus *l. c.* Inter ludorum praeſides Deos certe & Hercules: rem ob oculos ponit nummus Heracleotarum, in quo viſitur Hercules adſtante athleta cum palma victrice e regione templi, in ipſo theatro exſtructi.

28 Velleius Paterculus *l.* II. *c.* XCI.

29 Dio Caſſius *H. R. lib.* LIII.

bili, Turiaſo, Tarracone, Emerita, Neamuſo, Patrenſi, Beryto &c. Itaque ut omnia brevi haec noſtra perſtringat oratio, hoc mihi facile in animum induco, L. Apvsvlenvm, qui forte per id tempus puteum, & puteal fecit, lucumque ſeruit, ubi pro benemerenti Principe ſacra fierent, lapicidae mandaſſe, ut primo loco Avgvsti nomen ſcalperet, quo plenius Imperatori morigeraretur, illiuſque gratiam colligeret: ne vero alterum, quod a C. Julio adoptione traxerat, praeteriretur, ſecundo loco apponendum cenſuiſſe. Verum erit ne quiſpiam, niſi in his ſtudiis adhuc peregrinetur, qui haec duo nomina inſolenter omnino, & praepoſtere in noſtro marmore collocata affirmet? Nam, ne ego inutili exemplorum congerie lectores onerem, atque fatigem, quid notiſſimus nummus cum lemmate Divvs Avgvstvs Caesar? Quid prima Cenotaphiων Piſanorum tabula, cujus exemplar omnium teritur manibus, in qua *Auguſti* nomen alteri *Caeſaris* non ſemel anteponi conſpicimus? Graecis tamen id videtur mihi fuiſſe uſitatius; ſic enim eorum nummi complures habent, inter quos ſcribenti duo oculis obverſantur, ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ alter ſub Furio Sacerdote, & Aſiarcha, cui inſcriptum, ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΒΟΥΛΑΙΩ, *Auguſto Caeſari conſiliorum praeſidi*, alter ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ, in quo Octavii caput ambiunt verba, ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Nec in poſtremis habendum celeberrimum, & a Cl. Chiſullio editum inter Antiquitates Aſiaticas *pag.* 156. ψήφισμα Stratonicenſium, qui, ut a Senatu R., quod volebant, impetrarent, ejuſdem Octavii decretum excitarunt, quod in hoc vetuſtiſſimo lapide inſcribitur, δόγμα Σεβαστοῦ Καίσαρος.

§. IV.

§. IV.

Puteum Bononienſem in Luco ſacro exſtitiſſe. Veterrima Lucorum religio diutiſſime perduravit. Luci Apollinei complures. Bononienſis lauris conſitus, eidem Numini gratiſſimus. In eo pro Auguſto ſacra fiebant, quibus aquam puteus praeſtabat. Luci Auguſtales.

Age vero, ad puteum, cujus gratia omnis haec diſputatio ſuſcepta eſt, dicendo revolvamur, & quo loco exſtiterit, quemque uſum praeſtaret, enucleatius docere pergamus. In quo primum nihil eſſe video, quod me ex obfirmata animo ſententia dimoveat, exſtitiſſe in nemuſculo, lauris incaeduis ubertim conſito, Phoeboque conſecrato. Quid vox illa LAVRVS, qua omnis inſcriptio terminatur? Quis ambigat perinde valere, ac ſi LAVROS quadratarius ſcripſiſſet? Alternant in vetuſtis monumentis hae duae litterae V, & O, quemadmodum a Quintiliano erudimur [30]. *Quid O, atque V permutatae invicem, ut Hecoba, notrix, Chulcides, & Pulyxena ſcriberentur?* Quare in aureae etiam aetatis marmoribus crebro occurrunt, AGRV, ANNVS, CLVACA, CONSOBRINVS, DOMVS, SACERDVS, SVBVLES &c. pro *agro*, *annos*, *cloaca*, *conſobrinos*, *domos*, *ſacerdos*, *ſoboles &c.* quod jamdiu adnotarant Pierius Valerianus [31], & Salmaſius [32], nuperque Chriſtianus Fridericus Rhue in priori ſpecimine Philologiae Numiſmatico-Latinae [33]. Adde huc, ſi placet, Senecae verba in *Oedipo*:

F Hoc

30 *Inſtitutionum lib. I. cap. IV.*
31 *In caſtigationibus Virgilianis.*
32 *Hiſtoria Auguſta. Not. ad Capitolin. in L. Vero.*
33 *Ad litteram V. pag. 32.*

Hoc me Delphicae LAVRVS *monent.*

Fuiſſe autem *Lucorum*, nemorumque ſacrorum religionem omnium vetuſtiſſimam, ut arbores ipſae templorum, fanorumque praeberent vices, diſerte monuit Plinius, cujus verba non abs re erit ſubjicere. *Haec fuerunt numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo praecellentem arborem dicant; nec magis auro fulgentia, atque ebore ſimulacra, quam* LVCOS, *& in iis ſilentia ipſa adoramus.* [34] Quin immo antiquiſſimum eorum, qui terras incoluerunt, hominum genus miſera hac ſuperſtitione exſtitiſſe obligatum, egregie probavit vir incredibili rerum varietate, & abundanti eruditione excultus, atque his ipſis, quibus ſcribo, diebus e vita ſublatus Johannes Checotius. [35] In omnes ſubinde ſe ſe explicavit regiones arborum, ſylvarumque cultus, ſed apud Germanos altius conſediſſe Agathiae Scholaſtico viſus eſt. [36] Ac ne plura, quae ſunt pene innumerabilia, conſecter, adiri jubebo Zornium in *Bibliotheca Antiquaria* [37], Eſchenbachium *de conſecratis Gentilium Lucis* [38], Keyſlerum in *Antiquitatibus Celticis* [39], tum Schedium *de Diis Germanis* [40], & qui omnium fuit multo doctiſſimus, Benedictum Averanium *Diſſ.* XIX. *in Livium*, a quibus haec cumulatiſſime ſunt tradita. Atque hinc factum exiſtimo, ut Langobardi, qui ex ſeptentrionali plaga in noſtras provincias fatali incurſione irruperant, eadem ſuperſtitione inter nos adhuc implicarentur; nam illud a Luitprando Rege

34 *Hiſtor. N. lib.* XII, *cap.* I.
35 *Diſſert. ſopra l' Idolatria de' Boſchi. Accadem. Corton. Tom.* I. *part.* II.
36 *Hiſtor. lib.* I. Confer Tacitum *de morib. Germanorum.*
37 *Tom.* I. *part.* IV.
38 *Pag. m.* XI *&c.*
39 *Pag.* 60. *& ſeqq.*
40 *Syntagma* II. *c.* XXIII. *&* XXIV.

Rege ſancitum memorat Paullus Varnefridus, *ut ſi quis ad arborem, quam ruſtici ſanctivum appellant, adoraverit, vel incantationes fecerit, componat de medietate pretii ſui in ſacro palatio.* [41] At ſuperſtitio, quae citiſſime ſubrepit, animaſque conſilii inopes circumvenit, extincto Langobardorum regno, non ita ſubito repreſſa, atque diſpulſa; cernimus enim ſapientiſſime proviſum a Reginone Prumienſi de diſciplinis Eccleſiaſticis, a Concilio Francofordienſi can. 43. atque in Capitularibus Regum Francorum [42], ut Idololatriae reliquiae, quae adhuc in lucis obtinebant, funditus convellerentur. Plura in hanc rem video collecta ab Everardo Ottone *de Tutela viarum* [43], ex quo libenter mutuabor Ladislai Regis Pannoniae decretum, ſexcentis annis antiquius. *Quicumque ritu Gentilium juxta puteum ſacrificaverint, vel ad arbores, & fontes, & lapides oblationes obtulerint, reatum ſuum bene luant.*

Non id ego ſane conſilii cepi, ut unumquemque Lucum Diis dedicatum ſingillatim nunc recenſeam (quocumque enim te in omni antiquitate cogitatione, animoque converteris, paſſim id genus ſylvas offendes), ſed officio certe, inſtitutoque operi deeſſem, niſi de ſacris Apollini nemuſculis aliquid commentarer. Heſiodus

F 2 ſcri-

41 *Leg. Langob. lib.* II. *tit.* 38. Adi GloſſariumDucangii in vocibus ARBOR, & SACRIVVM &c.

42 *Capitular. Reg. Francor. Tom.* I. *tit.* LXIII. Vide obſervationes Baluzii ad hanc legem, tum ipſius ad Reginonem *lib.* II. *cap.* CCCLVIII. adnotata.

43 Primo quidem *capite* II. deinde *cap.* XIV, ubi arrogantius invehitur in Sanctorum imagines, quae ſecus publicas vias aliquando conſtituuntur, illarum cultum raucis jam argutationibus impetit, & mendaciſſimam, ridiculamque querelam inſtaurat, centies a noſtris depulſam, tum a me altero ab hinc anno in *Antiquitatibus Chriſtianis Diſſert. V.*

ſcriptorum antiquiſſimus, in poëmatio περὶ τῆς ἀσπίδος τοῦ Ἡρακλέους, *de ſcuto Herculis*, memorat

. . . . ἱερὸν ἄλσος
Φοίβου Ἀπόλλωνος ἑκατηβελέταο ἄνακτος.
. . . . *ſacrum nemus*
Phoebi Apollinis longe ſagittantis regis.

Theſſalico hoc nemore multo celebrius Arcadicum [44] ἱερὸν τῷ Ἀπόλλωνι ἐπίκλησιν Παῤῥασίῳ; *ſacrum Apollini cognomento Parrhaſio*. At dum hunc Pauſaniae locum ob oculos habeo, tria alia mihi ſuccurrunt ex illo commemoranda nemuſcula. Primum erat prope templum Apollinis Grynaei, ubi viſebatur κάλλιστον ἄλσος δένδρων καὶ ἡμέρων, καὶ ὅσα τῶν ἀκάρπων ὀσμήν παρέχεται τινα, ἢ θέας ἡδονήν; *pulcherrimus lucus ex arboribus tam ſativis, quam ex his, quae ſolo odore, & ſpecie delectant*: [45] Apollinis vero Carnii luco decus augebat fons: ὀλίγον δὲ ἀπωτέρω Φάρων ἐστὶν ἄλσος, καὶ ὕδατος ἐν αὐτῷ πηγή; *non longe a Pharis eſt lucus, & in eo fons perennis aquae*, [46] Colophoniorum tandem nemus, Phoebo dicatam aliquando fraxinum fuiſſe, oſtendit: ἐν δὲ τῇ Κολοφωνίων ἄλσος τέ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ δένδρα μελία; *apud Colophonios cernitur lucus Apollinis fraxinis condenſus*. [47] Ne tamen in uno ſcriptore nimium verſari videar, Pauſaniae Strabonem adnecto, a quo lucus Nicopolitanus in haec verba deſcribitur: τὸ μὲν εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν πεντετηρικὸν, ἐν ἄλσει ἔχοντι γυμνασιόν τε, καὶ στάδιον, τὸ δ' ἐν τῷ ὑπερκειμένῳ τοῦ ἄλσους ἱερῷ λόφῳ τοῦ Ἀπόλλωνος; *eſt & lucus gymnaſio, ſta-*

44 *In Arcadicis.*
45 *In Attic.*
46 *In Meſſenic.*
47 *In Achaicis.*

ſtadioque ad quinquennale ludorum certamen apparatus, ſacerque luco ſuperne tumulus imminet dedicatus Apollini [48]. In tanta autem, quae effingebantur, portentorum multitudine, illud erat expectandum, ut in hiſce lucis monſtrari, a fabulatoribus narraretur. Revera Aelianus *de natura animalium*: ἐν Κυριδίῳ αἱ ἔλαφοι ὅταν καταφύγωσιν εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν τὸ ἐνταυθοῖ τιμήσιον, ἔστιν δὲ ἄλσος μέγιστον, ὑλακτοῦσι μὲν οἱ κύνες, πλησίον δὲ ἐλθεῖν οὐχ ὑπομένουσιν. *In Curidio cervi quum in lucum, qui ingens illic Apollini ſacer eſt, confugerint, latrant quidem canes, ſed propius accedere non audent.* [49] Sed ſatis ad id, quod erat propoſitum, dictum videtur. Sacra haec nemuſcula variis conſtabant arborum generibus, non tamen illorum ſingula intonſo Deo aeque grata, acceptaque erant: nam, ut monuit Lucianus, quum primi illi terrarum incolae ſylvas conſecrarent, τὰ φυτὰ ἐπεφήμισαν ἑκάστῳ Θεῷ, *ſuam cuique Deo plantam aſſignarunt*: [50] Jovi quercum, Minervae oleam, Veneri myrtum, Veſtae pinum, Marti fraxinum, Herculi populum, & aeſculum, Baccho ſmilacem, & abetem, Mercurio ficum &c. Porro Apollini ita conſtanter tributa eſt LAVRVS, ut a Graecis, Latiniſque poëtis iiſdem illa donaretur nominibus, quibus Phoebus ipſe nuncupabatur; poſtes templi, arae, tripodes, myſtae Apollinis lauro redimirentur; laurus praemium eſſet victorum in Pathiis; lauro Aedes Delphica eſſet conſtructa; Penei ripae lauris perornarentur: quemadmodum ab immorrali Spanhemio in obſervationibus ad hymnos Callimachi [51] ſingulari rerum delectu, ingeniique felicitate demonſtratum eſt. Quis ergo

48 *Geograph. lib.* III.
49 *Lib.* XI. *cap.* VII.
50 *De Sacrific. Operum Tom.* I.
51 *Hymn. in Delum pag.* 399. *&c.*

ergo non animadvertat lucum agri Bononienſis, qui totus, aut magna ex parte lauris conſtabat, propter hujus opinionis vetuſtatem, ac religionem Apollini ſic placuiſſe, ut prae ceteris ab eo non ſolum diligi, ſed etiam incoli, numiniſque illius majeſtate impleri debuerit? Quae autem in lucis gererentur, ex antiquiſſimis litteris, ac monumentis conſtat. Inter frondiferos illos ſaltus, umbraſque ſilentes exſtructis aris, adductiſque victimis ſacra peragebantur. Non hic exempla ex Sophocle, Callimacho, aliiſque decerpta recudam, quibus Dreslerus in ſingulari Diſſertatione *de Lucis religioni Gentilium deſtinatis* [52] optime evincit, lucos ad ſacra fuiſſe delectos, & loci ſolitudine, opacitateque ad ea perficienda aptiſſimos; ideoque ab iiſdem ſcriptoribus aras cum lucis perpetuo conjungi. Verum quod ab Argonautis factum tradit Apollonius Rhodius, ita cum his, quae a me tractantur, cohaeret, ut illud haud queam ſilentio praeterire. Quum ad Sporades navigando appuliſſent, [53]

. . . . . . *τοὶ δ' ἀγλαὸν* ΑΠΟΛΛΩΝΙ
ΑΛΣΕΙ *ἐνὶ σκιερῷ τέμενος, σκιόεντα τε* ΒΩΜΟΝ;
. . . . *illi igitur pulchrum* APOLLINI
Vmbroſo in LVCO *ſacellum, umbroſamque faciebant* ARAM.

Idem prorſus praeſtitiſſe L. Apuſulenum mihi certiſſime perſuadeo, eumque non modo lauros conſeruiſſe, ſed aram quoque lapide ſtructam, ſeptamque corollis ſacraſſe, quae ignibus, thure, caeſiſque victimis caleret; ibidemque exiſtimo Bononienſes pro Imperatore ſacrificia more majorum feciſſe, in quibus, quum erat opus, aquam

52 Edit. Lipſiae 1720.   53 *In Argonautico lib.* IV.

aquam e proximo puteo hauriebant. Quod ſi quis illud etiam contendat, nedum puteum, ſed lucum ipſum Auguſto, ejuſque Genio dicatum fuiſſe, non me repugnantem habebit: tantum enim adulatio potuit, ut haec nemora, quae ab ipſis Diis habitari putabantur, Caeſaribus conſecrarentur. Auguſto praeſertim, ſi memoria mihi non labat, ſacri fuerunt lucus ab Alſatis in Tribocis dedicatus, de quo plura Schoepflinus in *Alſatia illuſtrata* [54], lucus inter Martias, & Timalinum poſitus, cujus meminit Itinerarium Antonini [55], aliuſque in Gallia Narbonenſi [56]. Quidni hoc ipſum de Felſineo dicatur, cujus conſecrationem ipſa inſcriptio videtur praedicare?

ſ. V.

De Lucio Apuſuleno, qui totum opus De ſua Pecunia *fieri fecit. Quo vere Magiſterio ſit ille defunctus. Varia apud veteres* Putealis *ſignificatio.* Πάρεργον *de italica hujus monumenti interpretatione a Cl. Trombellio conſcripta.*

Praeclaram, diuturnamque laudem nemo ibit inficias, meruiſſe viros illos, qui communi conſulentes bono, publicis operibus excitandis curas, ſumptuſque impenderunt. Nam quia omnes utilitatem expetimus, ad eamque rapimur, libenter commendatione proſequimur, quotquot hujus rei cauſſa quidpiam novimus contuliſſe. Multam proinde ab antiquis Bononienſibus iniiſſe gratiam mihi videtur Lucius Apusulenus, qui totum illud, quod hactenus deſcripſimus, opus *De ſua Pecunia*

54 *Alſatiae illuſtratae Periodus Romana* ſ. CCIV.

55 *Edit. Weſeling. pag.* 430.

56 *H. N. lib.* III. *cap.* IV.

nia fieri fecit. Illi itaque hoc ſaltem officii rependamus, ut pauca de ipſius conditione, atque munere nunc litteris tradantur. Nomen illi fuiſſe poſt adeptam libertatem in vetuſtis marmoribus perfrequens patebit Gruteri, Muratoriique theſauros evolventi, in quibus occurrunt -- *C. Apuſulenus Adjutor* -- *C. Apuſulenus Plebejus* -- *Apuſulenus Januarius* -- *Apuſulenus Jucundus* -- *Apuſulena Hieria* -- *Apuſulena Ruffilia*. Quod antequam per manumiſſionem nanciſceretur, altero EROTIS nomine appellabatur, ex quo ſervilis ejuſdem origo ſatis innoteſcit; quandoquidem proprium omnino illud fuit eorum hominum, qui ſervitutem ſerviebant. Porro ſi ſervorum, libertorumque Liviae Columbarium adeas, in ollae titulo EROTEM AVGVSTAE ROGATOREM leges; & in Grutero EROTEM SPONSIANVM AVGVSTAE MEDICVM [57]: quae duo munia procul dubio nonniſi honoratioris conditionis libertis demandari par erat [58]. Sed etiam infimi miniſterii ſervis illud ipſum inditum cernimus, nam Doniana Marmora [59] memorant EROTEM PAVLLINAE LECTICARIVM. Quid opus eſt multis? Veteris juris peritiſſimus Alciatus jamdiu admonuit, illud ex Romanis legibus, ſcitiſque manifeſto colligi, haec nomina, *Titius*, *Maevius*, *Sejus*, *Sempronius* de ingenuis, alia vero *Sticus*, *Pamphilus*, *Eros*, *Damas* de ſervis, libertiſque conſtanter fuiſſe uſurpata [60].

Quum

57 Pag. DLXXXI. 4.

58 De Rogatore inter domus Auguſtae familiares conſule doctiſſimum Gorium in Columbario Liviae *Obſerv. ad tit.* XXXIII. *p.* 96. & 97. De Medicorum vero conditione, ingenui ne, an ſervi eſſent, acta utrinque magna concertatione quaeſtio eſt. Julius Carolus Schlaegerus, quem iterum cum debita illius eruditioni laude nominamus, *Hiſtoriam litis de Medicorum apud Veteres Romanos conditione* contexit, ediditque *Helmſt.* 1740.

59 *Claſſe* VII.

60 Parerg. lib. I. cap. XXVI. *quae ſervorum nomina, quae liberorum in jure*.

Quum autem vera, juſta, legitima emancipatione, *Pileique traditione*, libertis, qui eſſent primi ordinis, legata capere, teſtamentum ſcribere, civicis perfrui privilegiis, honores, officia, ipſa etiam ſacerdotia prenſare liceret, quemadmodum poſt Vlpianum, & Modeſtinum, ab JCtis animadverſum eſt; proxime ſequitur, ut quaeramus, quo vere MAGISTERIO noſter Eros ſit defunctus. Res ita in promptu videtur, ut ſola egeat narratione: nam ex his, quae hactenus demonſtravimus, plane ſequitur, Erotem ſacrificiis praefuiſſe, quae in luco fiebant; & ea prorſus ratione, qua legimus exſtitiſſe Magiſtros Junonis, Mithrae, Dianae, Mercuriii, Herculis, Feroniae &c., ita ille MAGISTER SACRORVM Apollinis, Geniique Caeſaris eſt dicendus, ut in Gudiano lapide [61] reperitur.

Q. FLAVIVS . Q. F. HERCVLANVS . AVGVR
MAGISTER . SACRORVM . FAC.

Neque vero huic interpretationi quicquam incommodat, quod a noſtro marmore abſit illa peculiaris Magiſterii deſignatio; non enim in lapidaria palaeographia, ubi res compendiaria, & ſaepe interciſa oratione enunciantur, haec ſcrupuloſe quaerenda, ſi ex ceteris, quae ſunt contexta, ſenſus deprehendi poſſit. Praeterquamquod res non vacat exemplis, omniumque inſtar erit titulus Hiſpalenſis Gruterianus, quo non alius cum noſtro convenientior.

G C. MAR-

61 *Pag.* XCVIII.

C. MARTIVS . APILVS
MAGISTER . LARVM
AVGVSTORVM . ET
GENII . CAESARIS . AVG. N.

Supremum illud eſt, ut quoniam vox PVTEAL antiquitus varie accipiebatur, ne hoc quidem intactum, indictumque mittamus. Duplex a ſcriptoribus celebratur *Puteal*, utrumque in Vrbe rerum domina quondam exſtructum; alterum, ſub quo Naevii Auguris cos, & novacula, priſca Regum aetate a Cicerone in primo de Divinatione, defoſſa traditur; alterum, quod Scribonius Libo, mandante Senatu, ſerius fecit aedificari. Quae duo, quamvis ne minima quidem ſocietate contingantur, & tum tempore, cum loco (Augurale namque in Comitio fuerat, Scribonianum in porticu Julia prope atrium Minervae) inter ſe ſe diſtincta, diverſaque ſint, nihilominus crebro ab antiquariis pro uno eodemque Puteali habentur: in quo Ant. Auguſtinum, Nardinum, & Vaillantium oſcitantes, eſſe allucinatos, notavit magnum ingenium Spanhemius [62]. Quid vero eſſet ſaxea illa moles, opere ſtructa elaboratiſſimo, diſſidet, & variat eruditorum ſententia. Sigonius [63] quidem, Voſſius [64], Malturius [65], aliique cenſuerunt, *aram* fuiſſe: quorum tamen judicio nihil ſuffragatur Dio, a quo Puteal Βωμὸς vocatur, nam prima hujus vocis ſignificatio eſt *baſis*, quae non

62 *De Vſu, & Praeſt. Nummiſm. Diſſert.* X.
63 *De Antiq. Jure P.R. de Judiciis lib.* I. *cap.* XXVIII.
64 *In Etymologico.*
65 *Memoires de l'Accademie Royale Tom* III. *Diſſertation ſur le Dieu Bonus Eventus par Monſieur Moreau de Mautour.*

non tam altaribus, quam aliis pluribus rebus omninò proprie accommodari poterit. Facilius me in ſuas partes trahunt Borrichius [66], Landus [67], Marlianus [68], qui Acronis, Porphyrioniſque teſtimonio adducti, Puteal pro *ſede Praetoris*, & *tribunali* interpretantur: & quo libentius aſſentiar, facit viri graviſſimi, quem ego ſingulari amoris, & obſervantiae genere complector, acre, prudenſque judicium. Eſt is Johannes de Vita, qui in praeſtantiſſimo patriarum Antiquitatum theſauro [69] univerſam de Puteali controverſiam breviter, &, ut mihi viſum eſt, perdiligenter expendit; tribunal vere fuiſſe novis argumentis confirmavit, & qui Malturio, homini ceteroquin docto, & ſolerti, de Puteali, & Bonoventu exciderant errores, accurate caſtigavit. Ex quo etiam profligatam, exploſamque intelligas Begeri ſententiam [70], qui Puteal non ipſum tribunal, ſed in tribunalis vicinitate fuiſſe opinabatur. At ſive ara, ſive tribunal Romanum Puteal fuerit, hoc certe nomine, tranſlato ſenſu, vocabatur. Contra vero Bononienſe proprie appellatum eſt, quum vere nihil aliud illud fuerit, niſi munimen, quo putei accedentium commodo ſepiri ſolent.

Sed finis aliquando diſputationi conſtituatur: utque ea, quae toto hoc libello a me ſunt quaeſita, latiuſque explicata, in pauca conferam, hic meus de Felſineo lapide ſenſus eſto. In eo agri Bononienſis loco, qui *Macaretolo*, vel *Maceretolo* dicitur, Lucius Apuſulenus Luci Libertus Eros ſuo impendio Lauretum ſeruit, in quo pro Octavio Divi Filio, de Bononienſi Colonia egregie pro-

66 *Antiq. Vrbis facies*.
67 *In Select. Numiſmatis*.
68 *Typograph. Vrb. Rom. lib.* III.
69 *Theſaur. Antiquitatum Beneventanarum Diſſ.* I. *pag.* 26. 27.
70 *Theſauri Brandeburgici continuatio.* In num. familiæ Scriboniae.

promerito, ſacra fierent, quorum ipſe Magiſter, praeſeſque exſtitit. Et quia in re divina facienda viva, puraque opus erat aqua, de ſua pecunia puteum illic juſſit defodi, quem deinde marmoreo περιστομίῳ circumunivit: atque haec omnia Apollini, Genioque Auguſti, cui litabatur, ſacra, devotaque eſſe voluit. Verum antequam manum de ſcriptione ſubducam, unum par eſt, ut cum lectore candide communicem. Optimo, Sanctissimoqve Pontifici hoc qualecumque commentariolum manu exaratum, jam decem antea dies, obtuleram, tantique Principis juſſu, auſpicioque excitatus de illo edendo conſilium ceperam, quum in manus venit italica hujuſmet monumenti interpretatio a Viro ampliſſimo Johanne Chryſoſtomo Trombellio conſcripta: eamque laudem, quam ego a multis annis in omni litteraturae genere illi tribuebam, merito huic doctiſſimo homini deberi, vel ex hoc uno ipſius ſcripto intellexi. Porro non moleſte tuliſſem, noſtras haſce plagulas in tenebras detrudi, lubenſque, mutato conſilio, hanc provinciam Cl. Trombellio conceſſiſſem, ut ſibi in patriis antiquitatibus explicandis omnem vindicaret gloriam; me enim ab illo & ingenio, & eruditione facile vinci poſſe certo ſciebam; ſed quominus a commentario edendo ſuperſederem, duo effecerunt. Primum quidem, quod aliam prorſus viam in inſcriptione declaranda Trombellius injerit, ſaepeque opinionum diſſenſione diſcrepemus. Nihil ille cenſuit argumenti dilucidandi cauſſa praefandum, ſed explicationem repente exorſus Puteum haud ſacrum fuiſſe pugnat, ſed in gratiam, uſumque peregrinorum factum; propterea quod putealis aqua ſacris faciundis minime idonea illi videatur. Deinde non idem eſt de Genio

Cae-

Caeſaris utriuſque noſtrum judicium ; nam probabilius ad Neronem haec verba referri oportere ille contendit. Poſtremo L. Apuſulenum non ſacris, ſed gregi potius praefuiſſe exiſtimat, ideoque *Magiſtrum Pecoris* appellat. Alterum fuit, quo permotus opellam hanc in lucem hominum manare permiſi, ſcilicet ut Trombellius de ſua etiam evulganda cogitet ; licet enim noſtra nobis veroſimilia videantur, non dubito quin

Pro ſtudiis hominum ſemper diverſa probantum

Trombelliana interpretatio, & plurima affluens doctrina, & a magno viro, imprimiſque claro conſcripta, multis perplaceat.

FINIS

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. M. S. P. A.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſtant. Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Ordinis Præd. Reverendiſs. Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc. Ord. Præd.